

QR. 330/13

Zb
3350

FORTVNAM RESPICIENTEM
GEVDNERIANÆ FAMILIÆ
IN DIE CONNVBIALI
FOEDERISSANCTE ET SOLEMNITER PACTI
INTER
PRÆNOBILISSIMVM SPONSVM,
DOMINVM
D. CHRIST. SIEGISMVND.
GEVDNERVM,
VIRGINEMQVE AC SPONSAM
OMNIVM VIRTVTVM CHORO STIPATAM,
SOPHIAM CHARITATEM
VILISCHIAM,
PER MODVM EPISTOLÆ
MIRATVR, VENERATVR, GRATVLATVR,
IVRE NECESSITVDINIS NOVÆ
DEVINCTISSIMVS
M. IO. BENEDICTVS SILLIG,

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK
HALLE
(SAALE)

ILLVSTR. GYMN. MISNENS, CONR. EMERITVS.

MISNÆ,
STANNO LOEWIANO.
ANNO R. S. CIO. IOCC. XXXIX.





EXOPTATISSIME AFFINIS,
FORTVNATISSIME SPONSE.

Mirari ne subeat, quid sit, quod vincum orationis genus, quo semper alias delectatus, & in officio publicæ gratulationis per omnem vitam usus sum, hoc demum tempore, ubi foedere solemnī & æterno *Lectissimæ Dilectissimæque* VILISCHIÆ tuæ jungeris, totqve acclamations advolant, posthabere illud, & ueterem migrare consuetudinem decrevi. Neutiquam simia factus sum illustris *Samuelis Pufendorffii*, qui magni nominis Theologo Lipsiensium, Doctori *Alberti*, duas uno die filias *D. Sittigio & D. Gunthero* collocanti, per epistolam, spreto versu, gratatus est, causa interposita, vereri se, ne charta fieret blattarum esca, aut, inglorio carminum nuptialium exitu & fato, ad tabernas damnaretur. Crede mihi, non ita me suffenum esse, ut sortem tenuium ingenii mei foetuum præstantiorem deposcam atque expectem. Non angelum, cum *Angelo Politiano*, me profiteor, labis expertem, sed, cum *Chremete Terentiano* me hominem novi, a se nihil humani alienum certo putantem. Una potius causarum residet in TE IPSO, quem in prosa plurimum valeteb. d. 10. Apr. re vitæ curriculum, inaugurali Dissertationi annexum, pure
1739. que

Heavt. Act.

l. 1. 25.

habite Vi-

teb. d. 10. Apr.

1739.

que ac pereleganter concinnatum, me docuit, quem si æmuler scribendi modo & habitu, non quis temere credet, me, septuagenarium licet, a tam grata scribendi ratione nunc tandem abhorre, sed jucundiorē Tibi me præstare operam velle. Altera rationum hæret in argumento hoc sanctiore, quod pedestrem dicendi formam magis amat, ideoque istius materiam huic chartæ, tanquam honoris & charitatis tessellæ, ita nunc mandare placuit. Connubium autem Tuum perpensius nuper cogitanti commodum incidebat mihi fons ille, siticulosi Ismaelis causa ab angelo demonstratus, cui anxia mater memorabile nomen *viventis & respicientis DEI* imponebat, ob tantum improvifam letalis periculi amotionem. Legisse me aliquando tum occurrebat, in *Gruterianis inscriptionibus*, nostra adhuc memoria extare, in Carpensibus Italiæ hortis, monumentum hæc epigraphæ insignitum: M. AVREL. CTESIAS. FORTVNAE. AVGVSTÆ. RESPICIENTI. Quod elogium Suada Romanæ lingvæ, Tullius, leges Romanas exponens, ita est interpretatus, notari hac voce *Deam ad ferendam opem propitiā*. Addit idem, magna illam cum cæremonia Romæ, hoc nomine, cultam fuisse, juxta sanum *Jovis Victoris*. Rides merito, Prudentissime Sponse, vanam hanc & cœcam superstitionem, quam hoc minus cum paganis sanioribus humanarum rerum directricem agnoscis, quo sapientius de illa suo ævo jam statuit emunctæ naris Satyricus, Juvenalis, sic inqviens :

Cic. L. L.
lib. 2.

Sat. X.

*Nullum numen abest, si sit prudentia : Sed te
Nos facimus, fortuna, Deam, celoque locamus.*

Peccat sane vates, sed excusatius, dum humano ingenio id vendicat, quod soli DEO in acceptis ferendum est. Nosti enim, e diviniore Pandectis, res nostras fortunare unum, quod omnia moderatur, Numen. Hoc, ceti vivum, ac jugis aquæ, fontem, oculumque omnes respicientem arctiores humanæ vitæ conditiones, devoti suspicimus ac veneramus. Ex

eodem benignitatis puteo provida educatio *B. parentis* Tui fluxit, qui TE cum admodum *Rev. FRATRE* ad illustrem latidum Misenenfem, ceuq; Castalium misit fontem, ibique omnibus disciplinis ac linguis, quibus adolescentia capax imbui solet, largiter tingendum curavit. In hac melioris literaturæ scatebra illud Plautinum evenit, quod Gripus quidam piscator (tales enim sunt ingenui assiduique Musarum cultores) de se gloriatur *Dii me hominesque respiciunt. Bene ego hiis prædatus abeo.* Locupletati enim non vulgari artium thelauro discedebatis Misenâ, egregio instructi testimonio instituentium, quorum duo adhuc sunt superstites, & ego ipse tum aliqua pars eram, integritate sensuum viriumque corporis adhuc durante. Sic dispares quidem metâ, sed industria, pietate, apparatu omniumque bonorum, applausu, plane gemelli, & per omnia similes, *Dresdam* digrediebamini, è patriis *AFRÆ* que, laribus. Hic pariter *respicientem fortunam* abunde, & inuitato modo, experti estis, in domo *Illustris & Excellentissimi SCHROËTERI*, qui jamdudum venerabile carissimumque Musis nomen, præsidium ac dulce decus audit, ita ut tam egregium & magnificum nil dici possit, quin virtus & merita Ejus, in Ecclesiam, Aulam, scholas, & Remp., *Dresdam* maxime, cujus saluti, ut *Syndicus*, apprime consuluit, id longissime exsuperent. Hic, ut pulchre norat, nullâ re propius accedere mortales ad DEUM, quam salutem hominibus dando; ita et seorsum Familiæ Vestræ, ob *B. Patris* fidissimam peculiorem Waldensium administrationem, à plusculis inde annis impense cupiit, eandemque patricinio suo fortiter sustinuit. Factum inde, ut utrumq; Vestrum, in Academia, providentissime fovaret, præfidiisq; studiorum, contratempestates fortunæ, muniret, Vosq; novos tirones optimis ducibus commendaret. TE sigillatim, *Consultissime VIR*, insignite celebri & infatigabili Academia Vitebergensis Papiniano, KRAUSIO, commendabat, cujus præcepta, tanquam è tripode dicta, ut et omne Juris lat-

latifundium, accurate attendens, nihil doctrinæ obiter delibabas, ne in censum aliquando venires eorum iustitiæ cultorum, in quos facete Poeta non nemo id scomma iecit:

Grandia jura vorant, quibus haud sunt grandia jura.

Laudato autem omnium maxime KRAUSIO, nunc beato, TE dabas totum, ut in amorem *Tui* pertraheres penitus, isque vicissim *Patronis* se vadem laudis daret, non modo non amittendæ unquam, sed et longo cumulatus in posterum amplificandæ. Unde diviniotibus Pandectis intentus Frater, honestissimæ æmulationis laudisque igne incensus, ita certabat Tecum, ut ambo ad usus publicos examussim afciati, beneque prædati de diversis opibus (sic cum Plauto rursus loqui liceat) postmodum læto passu Dresdam contenderetis. Eo digressus Mæcenas communis patrio fere affectu Vos recepit, jamque munerum gerendorum ferme capacibus Candidatis ita prospexit, ut *Reverendam Dn. Fratrem*, ante annum, aræ *Waldense* destinaret, postquam per triennium & amplius, lateri Eum suo propius admovisset, et ocellum alhuc unicum, in spem *Optimi* et *magni* PATRIS tum læte adolescentem, humanioribus studiis imbuendum tradidisset. *Tuas* autem tam eximias animi facultates cum *idem* acutissimus ingeniorum *Censor ac Fautor* satis perspexisset, apud AMPLISIMUM SENATUM REIP. DRESDENSIS autoritate sua, qua, ut SYNDICUS, pollebat, effecit, ut conspicuam satis Actuarii provinciam concordibus suffragiis deferrent Tibi, quam omni fide & accurate per integrum fere quinquennium, ornasti. Nec acquievit hic MÆCENATIS favor, sed ut se porro Amplificatorem, declararet fortunæ tuæ, ad scientiam Juris confirmandam, amplius, et ad publicos usus transferendam, TE in notitiam exoptatissimi DN. SOCERI, Pratoris huius Urbis, ut luculentis meritis, sic longo rerum usu, celebratissimi, adduxit, insinuavitque quin & forensibus Ejus negotiis, quibus tantum non opprimitur, nuper comitem adiutoremque dedit,

neque minus in clientelis Waldensibus jura simul moderari
 iussit. Hac via familiæ innexus es tali, quæ FORTUNA RE-
 SPICIENTE, vel ut religiosius rem enunciem, propitio DEI
 affectu maxime omnium gloriari potest. Eminuit enim iste, ut
 potissima modo excerptam, in sex fratribus, quorum quatuor
 Doctoris infula, in superioribus cunctis, quas vocant, facultati-
 bus, condecoravit, e quibus Pirnæ alter in salutari arte pu-
 blicus olim audiit Phylicus, jamque inter cælites agit; alter
 eodem munere, quod DN. SOCER, cum insigni præconio
 ibi fungitur. Maximum natu ex hac præstanti quadriga, post-
 quam Lipsiæ initio alicuius Proculeji in fraterna cura partes
 raro perquam exemplo, egisset, remunerans gratia Numinis
 Eum ad Annabergensem primo Rectoratum, post non ita mul-
 to ad Altenburgensem Athenæi directionem extulit, cumque
 alias DEUS et natura non temere saltum, e veteri verbo, com-
 mittant, post merita tamen in Gymnasio ubertim collecta,
 eoe inferiori Aulæ Mysta ad amplissimam Misniæ ephoriam Frei-
 bergam ascendere iussit. Duo autem res divinas salutariter
 perinde curant, FRATREMQUE MAXIME REV., omni
 fide & dexteritate officii æmulantur. Ad perdilectum vero
 SOCERUM, tanquam e diverticulo, redeam, quod quam optime
 TE hic respexit Fortuna! En ille est, qui duabus familiis infi-
 gnibus se innexuit, jamque alio, præter TE, gaudet Genero,
 Consultissimo nimirum D. KLIMPELIO, causarum oratore
 hic felicissimo. Huic TE jam socium æmulumque jungit, ac
 dehinc libenter consilio juvabit, exemplo excitabit, usuque
 longiore confirmabit. Nunc, postquam hactenus expectationem
 Tui et Necessitudinum Amplissimarum, perquam laudabi-
 liter sustinuisse, Teque adeo tanti MÆCENATIS præconio
 dignum exhibuisse videt, & omnes boni jam omnia bona dicunt
 non potuit non delicias suas alteras, SOPHIAM CHARITA-
 TEM, tot votis expetitam, desponsare, desponsam consecrare,
 consecratam in thalamum dare. Accipis vero Eam, non modo
 plenis

plenis nubilem annis, sed et laudum virginalium, sexumque suum decentium, plenam, quas exquisitus jam prædicarem, nisi modestia Parentum, et consanguinitatis ratio, obstarent. Videbas *Eam* aliquando mecum in nuptiali convivio, et vicinus quidem, benigniore, credo, & respiciente vel sic etiam fortuna, ut accedendo propius ad ignem plus incallesceres. Sedebas una in medio cum matronali, tum virgineo, circulo, ubi, per ludum jocumque, pignora et oscula quandoque dividebantur. Licebat hic tibi formarum esse spectatori. Sed ita spectabas, ut reliquas, veluti per transfennam, negligentius observares. Una omnium maxime irretortis oculis inhærebat CHARITAS. Apparebat, TE non impetu in eam ferri, ut solet, sed cum iudicio et ratione. Quod ergo tam exquisite discrevisti, nunc arcte et ardentem complectere, ut libet. (Namque licet.) Quo perpensius rem tractasti, eo impensius nunc castissimis affectibus indulge. Annuunt, applaudunt, acclamant, omnes cognati, et vinculo christiani amoris coniuncti. Credimus veron bona scava, neque dextris avibus, Romanorum ritu, sed melioribus JEHOVÆ auspiciis, conjugium TE ordiri. Valeant Romulidæ, & cum Anchisæ Virgiliano sic cœlo supplicent :

*Juppiter omnipotens, precibus si flecteris ullis,
Respice nos.*

Æn. II, 689.

Juvas autem pater verus, sanctissimusque auctor connubii, hoc certius respiciet Vos, quanto majori religione & castimonia in fœdus hodie coistis, ex antiquissima constitutione Paradisiaca, ubi primus ipse copulator erat DEVS. Ex ejus ore, in genus humanum propitio, hæc fluxerunt verba: Crescite, & multiplicamini! Respiciat hac ex parte etiam Vos clementissimum Numen, jam genialem hortum ingressuros, faxitque, ut concordem non modo, florentesque, indelibato vigore, ad ultimam usque degatis senectutem, sed uberes quoque fructus familiæ *Vilischianæ*, quæ ex una stirpe octo surculos vidit,

Gen. I, 28.

ut

ut et paternæ, quæ plures tulit, imo & B. fratris mei, foecundæ domui pares, interatis, & robore numerosæ sobolis, quasi muro, ita lares Vestros, procedentibus annis, muniatis, ut, si DEO ita visum fuerit numerus denuo B. Affinis WENDII, Regii quondam Præfecti Dippoldiswaldensis, repetatur, qui ex unica thori socia novendecim liberos suscepit. Hunc anno salutis 1713. in trochaico quodam filiaæ hymenæo, ita affabar, e Davidico hymno :

f.

Filiorum, filiarum, promeconde mascule,


Macte tam pharetra fausta, totque festa spiculis!

Talis Hæctor haud parabit classico se turpiter,

Ante portæ clathra pultans quando frendet Hannibal.

Quodsi succentor Tibi, cum DEO & die, obtigerit, inqvies certe : Sat prata biberunt, et, hujus qualiscunqve scripti non oblitus, in memoriam revocabis autorem ejus, affinem scilicet nunc lætissimum, omnique officio devinctum. Perscriptum Baudæ, III. ante idus Octob. A. Æ. C. CIO. DCC. XXXIX.





Farbkarte #13

B.I.G.

80/13

Zb
3350

FORTVNAM RESPICIENTEM
 GEVDNERIANÆ FAMILIÆ
 IN DIE CONNVBIALI
 DERISSANCTE ET SOLEMNITER PACTI
 INTER
 PRÆNOBILISSIMVM SPONSVM,
 DOMINVM
 CHRIST. SIEGISMVND.
 GEVDNERVM,
 VIRGINEMQVE AC SPONSAM
 OMNIVM VIRTVTVM CHORO STIPATAM,
 PHIAM CHARITATEM
 VILISCHIAM,
 PER MODVM EPISTOLÆ
 MIRATVR, VENERATVR, GRATVLATVR,
 VRE NECESSITVDINIS NOVÆ
 DEVINCTISSIMVS
 O. BENEDICTVS SILLIG,
 ILLVSTR. GYMN. MISNENS. CONR. EMERITVS.
 MISNÆ,
 STANNO LOEWIANO.
 ANNO R. S. CIO. IOCC. XXXIX.

UNIVERSITÄTS-
HALLE
(BALE)
BIBLIOTHEK

